

D. DIDACI GVILLEN PE-
RACA DE RIBERA IVRISCONSULTI TOLE-
TANI IN AVTORIS LAVDEM, SCRIPTORVMQVE,

quæ ab ipso hucusque mandata sunt, ad Lectorem

P R Æ F A T I O.

NT ER cætera diuinæ providentiæ miracula, quæ passim dispersa in hoc vniuersi orbis opificio, quocunque oculorum aciem flectamus, nobis sese offerunt; nullum sanè maiore admiratione suspiciendum, nullum, in quo solertissima naturæ parentis industria dexterius lusisse visa sit, quam ingeniorum dissimilitudo, atque dissidium. Hinc artium, & professionum illa varietas, hinc illa studiorum multiformitas oritur, in quam, teste Platone, non casu incidimus, sed propensione, imò necessitate quadam naturæ, singulos ad singula opera aptos producentis trahimur in diuersa:

*Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem
Pugnis; quot viuunt capitum, totidem studiorum
Millia.*

Plat. lib. 2.
de Republ.

Horat. lib. 2.
satyr. 1.

Vnde Apollonius Molo maximus eloquēdi magister, ex eo non vulgarem laudem est assequutus, quòd quamuis mercede doceret, non patiebatur tamen discipulos apud se operam perdere, sed vnumquēque ad id exercitium, aut studium, quo naturæ ductu ferebatur, libenter dimittebat. Sciebat enim vir sapiens, quod quemadmodum non omnis terra ad omnem feminis rationem se accommodat: quinimò

*Hic segetes, illic veniunt felicius vna
Arboris fetus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabæi?*

Virg. lib. 1.
Georg.

Ita nec hominum animi ad omnes artes capeffendas parati sunt, sed

*Hunc iuuat occultas natura discere vires,
Et procul à vulgo condita mente sequi.
Ille Machaoniæ animam conuertit ad artes:
Versat hic antiquum sedulus Hippocratem.
Hunc iuris lassant numerosa volumina; at illum
Nobilibus studys docta Minerva tenet.*

Tit. Struc.
lib. 1. Eroti-
co. eleg. vit.

Quod si hæc artium, studiorumque disparitas mirabilis est, illud rursus mirabilius, quod in vnoquoque ipsorum is est iudiciorum dissensus, & diuersitas opinionum, vt inter eos etiam, qui vnam eandemque disciplinam profitentur; qui que eisdem sunt instituti præceptis, informati magistris, & quasi eodem doctrinæ lacte nutriti, & educati; vnum alteri cohærere, & in eandem sententiam conuenire vix contingat. Quod non inuenustè cecinit Sambucus, illius vetulæ emblemate depicto, quæ ossa arida, ante delubra cuiusdam templi in elato montis vertice constituti, dispersa, atque dissecta, & inconuallibus eius dilapsa, in vnum colligere, ac in sacrum locum reponere piè tentauit: his subiectis carminibus:

*Quædam anus in sacrum portabat crania collem,
Ossibus humanis ne minuatur honos.
Sed titubans agris pedibus cum verticem adiret,
Concidit, ac varium crania versat iter.
Illa videns labi diuersè cuncta retrorsum
Quodque adeò discors semita ferret onus;
Quid mirum si tot sensus, quot in orbe figuræ
Sunt, ait, in viuis; num ossibus vna via est?*

Ioan. Sambuc.
in lib.
Emble.

Quod vt cæteras artes, hoc morbo præcipuè laborantes, omittamus; nostram sanè Jurisprudentiam opinionibus maximè contineri, nemo nõ videt. Siue id faciat naturalis hæc hominum ad dissentendum facilitas; siue legum obscuritas, verumque ipsarum, & litium inextricabiles labyrinthi; siue litigantium iniquitas, & perfidia;